

dem angulo hæret. Apparet igitur cur tãtope-
re sint zelosi. Cæterum causam suam tueatur
Dei Spiritus, qui per os Esaia locutus est. An-
notatio mea nihil aliud est quàm paraphrasis
verborum Prophetæ. Mihi ne credatur: nisi ta-
men expungant Rabini quod dicit Prophetæ,
hunc mecum in eiusdem reatus societatem tra-
hant necesse est.

Psal. 81. b. 11.

Artic. 16.

Annotatio, Qui credit Deo, in nullo a-
lio fidit. Bibliis 1532. 1540. 1546.

Censura, Hæc propositio sapit hære-
sim, quia reuocat à fiducia in sanctos.

Et vnde obsecro fiducia in creaturas, nisi
quòd Deo nõ creditur? Adhæc quum dicit Ie-
remias, Deũ esse pij hominis fiducia, Iere. 17. a.
7, & tota Scriptura huc nos inuitat, vt in Do-
mino sit nostra fiducia: an partem tantum fidu-
ciæ Deo adscribit, aliã quouis vagari patitur?
Imò idola ex sanctis fieri certum est, dum in eos
vel minimum fiducia reuocatur.

Deut. 8. a. 1.

Artic. 17.

Annotatio, Commemoratio afflictio-
num ac beneficiorum Dei qua cõfirmat